







LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS
480.8
C569
v.17-B
CLASSICS

Jahresbericht

über den

Schulcursus 1858–59

an dem

Königlichen Gymnasium zu Emmerich.

Von dem

Director des Gymnasiums

Wilhelm Nattmann.

Vorausgeht eine Abhandlung des Hrn. Gymnasiallehrers Dr. Cramer: De musica colloquium.

Emmerich,
gedruckt bei J. L. Romen.

Nec citra musicen grammatice potest esse perfecta.

Quinctil. I. 4. 4.

Illud semper in praecipuis eorum, qui politioris humanitatis participes fieri studeant, et oblectamenti et eruditionis fontibus collocavi, ut, quae mente cogitaverint aut memoria acquisiverint, in amicorum commerciis eloquantur disputandoque explanent, atque eos semper felices praedicavi, quibus studiorum non solum, sed colloquiorum etiam benevoli contigerint socii. Habent quidem et lectio solitaria et meditatio ipsae per se miram voluptatis dulcedinem et continuo renovatam delectationem, quae locupletissima et summopere expetenda impensae operae pretia merito habentur; sed nascitur ex assiduitate talium laborum hebetatio quaedam mentis et languor ille, quem Seneca animi tranquillitati infestum denotat et omni cura repellendum esse censet; quare in apertis locis vagandum esse ait, ut caelo libero et multo spiritu augeat attollatque se animus [1]). Haec nuper ego reputans, quia me relaxare occupationibus per plures dies ad eandem rem applicatis cupiebam, amicum meum ad obambulandum invitavi. Confabulantes mox urbem reliqueramus. Erat autem tempus matutinum, aër nos circumfluebat purissimus; ver quasi rex cum omni suo comitatu, splendore, dignitate in regiones nostras ventis malignissimis tam diu vexatas sese inferre videbatur. Contemplationi vernae pulcritudinem naturae plane dediti ubi aliquamdiu per campos processimus, sive poëtarum ver celebrantium verba in memoriam nobis revocantes, sive aliis cogitationibus abrepti silentes: ecce nos excepit „vocale nemus" avibus canoris confertum, quae tam suavem efficiebant concentum, ut longius procedere vix auderemus. Inter tot vero voces fringultientes, garrientes, fritinnientes luscinia excellebat „velut inter ignes Luna minores." Nunc continuo spiritu sonum trahebat in longum, nunc variabat inflexo, nunc distinguebat conciso, copulabat intorto, promittebat, revocabat, infuscabat ex inopinato; interdum et secum ipsa murmurabat; plena, gravi, acuta, crebra, extenta voce tam iucundos sonos in aures nostras infundebat, ut descriptioni verba satis apta non inveniam. Ad amicum conversus, quam egregie, inquam, hae arbores frondentes ea personant musica, cuius ipsa natura fecit modos! quam parum universa musicorum ars id organis assequi potest, quod his tam parvulis in faucibus concinitur!

Sonora cedant organa doctis movenda nervis!
Si mille voces ederent, haec una vincit omnes [2]).

Imitari homines possunt naturam, assequi ne hanc quidem parvam musices praeceptricem. Amicus: Ecquid tu putas ex avium imitatione initium cepisse musicam? Ego: Quidni? Cuiusvis artis semina ac principia naturae deberi iam Cicero [3]) praeeunte Aristotele docet, et ad musicam quod attinet, nescio quid impediat, quominus Lucretio assentiar:

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo quam levia carmina cantu
Concelebrare homines possent aureisque iuvare [4]).

Ita etiam teste Athenaeo [5]) Alcman sensit, senserunt alii poëtae; nec minus narratiuncula illa de cicada, quae apud Strabonem [6]) legitur, huc facere mihi videtur. Meministine eam? A. Non memini; profer sodes! E. Ostendebatur apud Locros Eunomi citharoedi statua, in cuius cithara insidens cicada erat sculpta. Hunc Eunomum Pythiis canendo certasse narrabant, et cum inter certandum chorda una fracta

defecisset, cicadam supervolantem adfuisse, quae supplementum vocis faceret. Atque eius bestiolae suavissimo cantu effectum esse, ut Eunomo victoria adiudicaretur. A. Non invenustum. E. Latet sensus, docta musica potiorem esse naturalem cantum. Et ut multa veterum testimonia transeam, de luscinia musicorum praeceptrice etiam Baldius noster suaviloquens iucunde canit, cum morientem inter modulationes philomelam vitam reddere fingit lyrae fidibus [7]). Vides, non destitutum auctoritate me proponere sententiam. An plures iubes afferri assensores? A. Sufficiant, quos advocasti; nec ista enim, nec quae alia tibi forte in promtu sunt, testimonia, mihi e naturae imitatione initium cepisse musicam persuadebunt. Aristotelis [8]), quam modo laudasti, sententia iamdudum ita est a philosophis mutata et correcta, ut artificibus non quasi in servitutem addictis naturam esse imitandam statuant, sed pro legibus artium transformandam. Pulcrum enim omnino duplex est: aut natura evenit sponte sua, aut hominum fit manu. Eo autem maximi momenti efficitur discrimen, quod deus omnes res naturales non iussit esse pulcras, artifex contra nullus est, nisi pulcritudinis leges in omnibus operibus sollicite observans [9]). Natura potest pulcritudinem efficere, ars debet. Iam vero in iis, quae sub sensus cadunt, rebus omnes artes exempla inveniunt, una musica excepta, ea enim extrinsecus materiam quidem instrumentorum quaerit, non vero exemplum canendi [10]) E. Quid igitur? Negas, lusciniam, quae „sub umbra amissos queritur fetus" musicos effundere sonos? Et universum mundum miro modo per deum animatum reddi musica naturali? An fragores caeli tonantis, fluctus maris aestuantis, turbines procellarum stridentium originem et exempla non praebuerunt musicae hominum? Iterum Lucretius approbat [11]):

> Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
> Agresteis docuere cavas inflare cicutas.
> Inde minutatim dulceis didicere querelas,
> Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum
> Avia per nemora ac silvas saltusque reperta
> Per loca pastorum deserta, atque otia dia.

Magnas memini de musica naturali me legere commentationes [12]). A. Hoc tibi facile concedo; nec me fugit, Schleidenum poëtam, e laudatissimis naturae investigatoribus unum, ipsum sonorum ordinem, quem musici diagramma nominaverunt, inventum esse opinari, quo cum omnes aves utantur, mirum illud efficiatur, ut quam plurimis concinentibus dissonae voces non audiantur [13]). Quae quamvis sint cum specie ingenii et veritatis prolata, verissimum tamen est, in universa natura nullam esse eo, quo nos utimur, sensu musicam; sed quaecunque auribus percipiuntur, stridorem quidem, clangorem, strepitum, inconditum denique sonum iure nominaveris: musicos vero sonos, qui certo et modulato intervallorum et modorum ordine ita se excipiant, ut auribus eos possis metiri, nusquam auscultas, dummodo cuculum et asinum — eximium nempe artificum par — exceperis. Musicis vero sonis melodia et harmonia, quas nostri vocant, conflantur, haec sonos impares una canendo, illa acutiorum graviorum sonorum alio post alium sonante effecta. Ne argutissime quidem subauscultans naturae amicus percipiet triadem harmonicam nec perfectam, nec imperfectam, nec superfluam, nec ullos accordos, quos nostri musici vocant; immo enim sonorum concordantias nonnisi longis temporum spatiis interpositis paullatim et quasi pedetentim sociatas esse musicae historia docet [14]). Graeci, quem populum omnes artes summopere promovisse unusquisque scit, ἁρμονίαν vocabulum quidem habebant, rei vero, quam nos ea voce significamus, nonnisi exigua et vix ullius ponderis rudimenta noverant [15]). Sub saeculum tandem duodecimum „punctum contra punctum" positum est, indeque, nova disciplina orta atque in musicam invecta, nostra, multo praeclarior quam antiqua, musica originem cepit. Duo igitur, quibus haec ars constituta est, fundamenta a natura non sunt iacta; tertium contra, quod ῥυθμὸν Graeci, numerum Latini vocant, natura praebetur, nam innumerabiles in ea sunt motus, qui conveniente quadam proportione et similitudine sub sensus cadunt. Siderum cursus, anni vicissitudines, dies ac noctes, aestus maris affluentes et remeantes, gressus hominum vel animalium (praecipue equi, qui „quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum"), cordis et venarum pulsus: haec omnia certo tempore recurrunt, et quemvis hunc „modum in rebus" a natura donatum esse musicae infitiari nolim, ceteroqui tamen Hanslickio

adstipulor, non animalium voces, sed fissa contortaque eorum intestina nobis esse necessaria, nec lusciniae tantum debere musicos, quantum — ovi [16]). **E.** At, si ne oscinibus quidem faves, quid hominis ipsius immemor es? Is uti pictoribus et poëtis imitationis fontem nunquam exhauriendum aperit, cantu suo, qui nulla iuvante arte erumpit e pectore et quasi scaturit, musicis naturalium modulationum promptuarium non praebuerit? In Rossinii, ut exemplis utar notissimis, operis melici, quod a Guilielmo Tellio nomen habet, exordio pastorum cantum organa imitantur, in Haydeni, qui quatuor anni temporum inscriptionem prae se ferunt, modis agricolae sibilus auditur, et illud tenerrimum ad rosam canticum, quod Flotovii Martham celebrem reddidit, non eruditione musica, sed nativo Scotorum ingenio inventum est. Sed quid exemplis probo, quod nemo negat? **A.** Vel simplicissimus cantus, qui ex sonorum serie ita constet, ut metiendo possint distingui, animo humano sine imitatione sentiente et ratiocinante [17]) est effectus. Pastor canens, agricola sibilans, populus simplicissimis modis utens non nativum sua sponte sine arte exortum edunt, sed prima ipsius artis quasi rudimenta. **E.** Tuam mihi fateor magis placere sententiam quam poëtarum; fortasse etiam Polydorus Virgilius [18]), qui velut erecto supercilio „veram artis originem tandem aliquando planam" fecisse gloriatur, tibi cederet. Is enim perlegenti mihi nuper commentationem de eo „qui primus musicam invenerit", Lucretii versus firmasse videbatur. Sed tu, unde hominibus datam esse musicam censes? Num statuendum suadentibus veterum fabulis [19]) de Apolline, Dionysio, Mercurio, Pane aliisque numinibus, hac arte divinitus imbutos esse homines? **A.** Sane equidem cum Cicerone [20]) sentio „omnium rerum magnarum principia a diis immortalibus duci", sed musicae donum non potest separari a procreatione animi ipsius, cui insita atque innata vis canendi et impulsus. In te ipsum descende, quod ait Persius, ut musicae originem investiges; ex anima enim tanquam officina, interna sentiendi facultate et impetu naturali profertur et quasi protruditur musica; imo hominis recessu conformatur [21]). **E.** Hanc rem ut accuratius mihi explices a te peto. **A.** Rem non utique facilem vilemve postulas. Etenim de sentiendi interna vi eiusque efficientiis doctrina est ex iis, quae obscuritatis causa summas inter philosophos ipsos discrepantias et dissidia moverint [22]). **E.** Quae utinam ne omnia mihi recenseas; Ennium enim hic acerso [23]): Philosophandum est, sed paucis, nam omnino haud placet. Paucis dic verbis, quaenam tua de hac re sit sententia. **A.** Quid possim tentabo. Tenes sine dubio Herderi, maximi similium rerum perscrutatoris, sententiam de linguae origine. **E.** Homines inconditis vocibus inchoatum quiddam et confusum sonantes sensim ex hoc animi sentientis linguas principio, i. e. e gemitibus aliisque eiusmodi sonis, qui ipsius naturae necessario quodam impetu eruperint, linguam formasse. **A.** Linguam igitur vel minime perfectam fieri non potuisse nisi animo humano inveniente et formante [24]). Id si Herdero, quod non dubito, concedis, vide an ea quoque comprobes, quae sum tibi propositurus. Musica et lingua cognatione quadam sororum inter se continentur; sunt enim soni illi communes [25]) earum quasi genitores ita, ut praeponderante vi sentiendi musicam, praevalente facultate intelligendi linguam procrearint, sive aliis verbis: affectionum impulsus musicam, cogitationum linguam genuerunt [26]). Sicuti autem ratio in animalibus non est, ita carent etiam affectionibus, quae humanis sint similes; sicuti loqui non possunt, ita eos deficit musica. Iam vero qui in vita humana ab infantia ad plenam aetatem est progressus, idem etiam cernitur in totius generis humani et in singularum nationum cultu atque eruditione. Prius sibi viam aperit, quodcunque sensu interno percipitur et efficitur, posterius subsequitur quod rationis est et intellectus. **E.** Arridet mihi sententia tua cogitanti de eo, quod litterarum historia monstrat, priorem fuisse poësin [27]), posteriorem pedestrem orationem. **A.** Bene mones; sed ulterius recedamus. Ut apud singulos homines vis intrinsecus sentiendi rationi et intellectui praecedit, ita musica linguae. Inde primum Musarum donum eam fuisse licet conjicere, et Graeci iure eam nominarunt per excellentiam τὸ μουσικόν [28]). Nullus est autem animi affectus vehementior amore, nullus musicae tam cognatus [29]), quare Graecis proverbium erat invulgatum: τὴν μουσικὴν ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν [30]); num eadem sententia effecerit, ut Harmoniam filiam Aphroditae dicerent [31]), pro certo nolo venditare. De ratione coniunctionis, qua cohaereat ars musica cum animo sentiente, hoc proximo tempore multa et dicta et conscripta sunt, quorum partem accuratius percurrere operae pretium mihi visum est. Si vis, nonnulla tibi pro viribus proferam. **E.** Libenter te audiam.

Sed considamus paullisper in molli hac herba sub umbra, ne nimium fatigemur. A. Considamus. Miro ingenio et acumine nuper Hanslickius, quem antea laudavi, refutare conatus est sententias, musicorum propositum esse, ut certas animi affectiones (pulcras sensationes barbare vocant in scholis) excitent, vel operibus musicis affectiones ipsas contineri. Id tantum ait spectare hanc artem, ut musicam pulcritudinem auditui subiiciat; formas sonando commotas unicas musica contineri. E. Non satis mihi liquet. A. Sententiam suam ut clarius explicet, exemplo utitur ex alia arte desumta [32]). Effingunt enim pictores vel sculptores imagines rerum, quae nec sunt, nec fieri possunt, nec fuerunt — talibus verbis Vitruvius [33]) artificiorum genus indicat, cui Itali grottescarum vel arabescarum nomen indiderunt [34]). In conspectum dant lineas sursum deorsum ductas, coëuntes inter se et discedentes, curvaturis paribus vel similibus sibi respondentes: immensae primo obtutui apparent, accuratius vero intuenti talis ordo atque similitudo ubique se offert, ut tot linearum figurarumve singularum coniunctione imago quaedam concinna eveniat. Talem si continuo motu vivam fingamus imaginem perpetuo ante oculos nostros coorientem non solum, sed etiam e vivo artificis animo, qui cunctam imaginandi suam copiam in has quasi venas et arterias effundat, prodeuntem, effluentem — hoc si fingamus, auctore Hanslickio simillimum quiddam musicorum effectis habeamus. Censet, ut vides, omnem in formis collocandam esse iucunditatem musicae, nec discrimen interesse inter argumentum eius et formam [35]). Iam dic, quid de hac sententia opineris. E. Acute eam esse excogitatam et arte sane dignam; reddit enim musicos sui iuris artifices. Sed si Hanslickius formam ab argumento distinguendam non esse perhibet, errare mihi videtur; sonus ab animi affectionibus eodem modo est distinguendus, ac corpus ab animo; separandus non est [36]). Idem illud nescio, num recte Arabum illi fingendi generi musicam comparaverit, qui, quum veras imagines hominum vel animalium repraesentare vetarentur, in vanis ornamentorum causa adhibitis imaginibus praecipue versabantur. Thema musicum, quod vocant, longe differt a linearum inani concinnitate, nec musici modi, ut illae quas modo descripsisti imagines, continuo recursu et redintegratione animum fatigant [37]), sed novas semper imagines et cogitationes excitando animum occupant et delectant [38]). Denique inesse in modulationibus affectionum linguam, nec solum formarum lusum, nunquam non contendam, quoniam, quae de musicae origine modo protulisti, vere dicta esse arbitror. A. Iis adstipulari mihi videris, qui contrariam defendunt opinionem. Nam si Hanslickius in musicis sonis nihil inveniri sibi persuasum habet, quam iucundos formarum lusus, Wagnerus contra, Lisztius et quicunque eorum vestigia premunt [39]), nihil aliud contineri affirmant musica, quam certissimas animi affectiones impulsionesque, quibus quo magis numeri et voces conveniant, eo pulcriores esse. Musica igitur iis nihil aliud est, nisi verborum vel adiumentum, vel supplementum, non ipsa per se ars. Quare nunc demum doctis lucem affulsisse videntur putare, cum ipsi musicam organicam solam esse improbandam docuerint, contra eos, qui, musica adiutrice tantum, ad carmina acclinent modos primo loco esse ponendos [40]). Formarum pulcritudinibus partes secundae tribuuntur, et meris organis modi effecti tum demum in vera versantur musica, si certissimarum, quas indicant verbis praefixis, affectionum, ut carmina lyrica, manifesta sint expressio [41]). Num ab horum parte stabis? E. Medio tutissimus ibis! Vocum nervorumque iunctorum cantum puto ex ea doctrina incrementum esse capturum; nam receptum quendam ad antiqua Graecorum principia nostris theatris salutarem futurum esse, vix ullus dubitat. Sed merum organorum cantum in vera arte non versari, nego. Non omnes animi affectiones verbis exprimi possunt; est animi habitus, quem obscurum vocant philosophi; is continuo quidem motu agitatur, sed a certis rebus aut cogitationibus non orditur [42]). Huius occulti et abditi affectus est vox sonus; simulac vero obscuritas animi rebus aut cogitationibus accedentibus transit in definitam commotioremque affectionem, voluptatem e. g. certa re excitatam vel dolorem, ad sonum distinctior verborum expressio accedat necesse est [43]). Obscurae affectiones priores sunt, quarum modulationes meris instrumentis expressae musica peculiariter nuncupandae sunt; quae quantum sine verbis valeant, Haydenius, Mozartius, ne dicam de Beethovenio, satis monstraverunt. A. Gaudeo nos consentire. Ego quoque veram organici cantus originem quaero in obscuris animi affectionibus. Omnes autem modulationes musicas ab animo sentiente proficisci aio, et eas quae assa voce, et quae solis organis et quae organorum vocumque iuncto-

rum cantu auribus subiiciantur [44]). Hac de causa spadonum cantus, ne dicam de turpitudine iis illata, vituperandus et abhorrendus; affectiones enim, quas eloqui debent canendo, simulationis nomine admodum sunt suspectae [45]). **E.** Latius mihi videtur patere, quod indicas; ut Quinctiliani illud: „Pectus est, quod disertos facit et vis mentis" [46]) non de eloquentia tantum valet. Omnibus potius cuilibet arti deditis dictum est, corde impellente et regente opus esse. **A.** Praecipue musicis; sunt enim solius cordis interpretes. **E.** Quid igitur? Num plane extra rationem et intellectum posita est musice? **A.** Minime vero. Nulla est ars sine scientia; leges autem, quae scientiae sunt, non sensu interno, sed iudicio statuuntur. Ceterum quod mones, cuiusvis artis partem ex eodem animi sentientis fonte profluere: iure dixeris etiam, nullam artem carere musica. Habent enim omnes artes commune quiddam [47]); est in omni pulcritudine unitas, quae immixta in sola cernitur musica. **E.** Miram sententiam pronuntias. **A.** Nec tamen inauditam. Graecos appello auctores, qui, commune illud artibus proprio vocabulo significantes, communi voce omnes, quae ad humanitatem spectabant, artes comprehendebant. Quid enim iis est *μουσική*? **E.** Hac appellatione priscos omnem humanitatem significasse, vel ei constat, qui philosophorum principes tantum quasi a limine salutaverit [48]). **A.** Latior is est sensus. **E.** Strictior consentit cum nostro eiusdem vocabuli usu. **A.** Cur numerorum sonorumque modulationem, nec vero poësin vel picturam vel aliam artem prae ceteris ex Musis nominaverunt? Graecorum indolem ad alias artes multo aptiorem fuisse, quam ad musicam, satis notum est. **E.** Rem esse miram et explicatione dignissimam fateor. Id, quod musices usus ceteras artes antecesserit, sufficere non videtur, sed subtiliorem aliquam causam quaerendam esse sentio. **A.** Commune illud artibus veteres indicant dicentes et repetentes, nobis cum h a r m o n i i s et n u m e r i s esse cognationem. Quare multos sapientes tradere, ait Aristoteles, partim animum esse harmoniam, partim harmoniam habere [49]). Ex harmoniis et numeris Graecis constabat musica, nobis, harmoniam et melodiam segregantibus, ex sonis et numeris. Soni fiunt motionibus rerum naturalium; atqui omnes omnium rerum naturalium per sensus cognitiones motibus materiae fiunt, est ergo in omnibus artibus, quae utique sensibus percipiuntur, sonus; sed non omnes soni audita ad animum perducuntur. **E.** Rectene te intelligo, omnia, quae sub sensus cadunt, motione percipi? **A.** Est istud. Ipsa sonorum accuratiore contemplatione factum est, ut de ratione, qua sensus externi afficiuntur, aliter prorsus ac antea iudicetur; immo tota est immutatio doctrinae de sensuum perceptionibus effecta. Semper sonus aliam explicationem postulabat, quam lux, calor, sapor, odor; ille enim, quum materia haberi non posset, mox intellectum est, sonorum varietatem in vibrandi varietate positam esse et citatioribus lentioribusve rerum corporearum motibus effici. Tum erutum est, varios colores eadem motionum varietate obiici, nec lucem omnino aliter explicandam esse ac sonum. Quibus praemissis et accedentibus insuper aliis indiciis, doctissimi physici dicunt probabilissimam esse coniecturam, calorem ipsumque odorem et saporem nonnisi motibus, innumerabilibus et diversissimis quidem, sed optime ordinatis per sensus a nobis percipi. Motio mera, a materia separata, auribus percipitur, et omne motus ille, simulac ars eum moderatur, musica dicitur? **E.** Sane. **A.** Nonne omnes artes sensibus cognoscuntur i. e. motibus? **E.** Omnes sensis utuntur. **A.** Num ergo mihi refragaberis contendenti, in omnibus artibus eam partem musicae inesse, quae meris sonis debetur [50])? **E.** Vix possum. **A.** Quod de rerum corporearum motibus concedis, multo etiam magis valet de motibus animi sive affectionibus. Nulla esse potest ars, quae careat affectionibus; atqui merae animi affectiones artem musicam procreant. Vide an falso concludam: Si omnibus artificibus opus est animo movente, purus autem animi motus exprimitur sonis illis, quibus musica utitur, in omnibus inest artibus, mutato fortasse nomine, sonus [51]). **E.** Miram Graecorum sapientiam! Nunc enim intelligere mihi videor, cur sonorum modulationem eodem nomine, quo ceteras artes coniunctas appellarint. Sentiebant illam e musica effluentem pulcritudinum unitatem, numerosam motionem — at, quae tu de motione omnium per sensus perceptionum effectrice protulisti, Graecorum ingenium nondum indagaverat. **A.** Persaepe fit ut populi naturalis sensus philosophorum indagationes praecurrat, quare hi saepissime etymologia utuntur ad sententias suas illustrandas. Graeci nec sine harmonia nec sine rhythmo ullam voluerunt esse artem. Adde, priscis temporibus Musis fuisse nomina ex Musica desumta [52]). **E.** Sint ista; hoc tamen contra te dico, Hesiodum et cum eo plurimam

Graecorum partem non Polyhymniam sed Calliopen nominare προφερεστάτην ἁπασέων [53]). A. Perhibere nolui, excellentissimam omnium artium esse musicam, sed primam et subtilitate omnibus aliis inhaerentem. Et quia musica ita est subtilis, ab omni materia maxime segregata, eam cum deo praecipue coniunctam esse semper fere creditum est [54]). Nolo huc trahere, quod Homerus dicit, a diis citharam epularum sociam factam esse [55]), nec afferre, Harmoniam diis potum ministrare [56]): nonne antiquissima est opinio, cuius rursus Pythagoras auctor extitit, omnem mundum canere ad harmoniam [57])?

Fallor: an audio
Per astra carmen? carmina credidit
Iucunda, concentumque moto
Pythagoras resonare coelo.
Quaecunque, certe non inamabilis
Insania haec est. Cum sonitu poli
Vertuntur. Audis instrepentum
Agmina luxuriare vocum?
Et vero cantant! Omnia sunt chorus;
Stellaeque Musae, dum rota volvitur
Et scena picturata transit,
Aetherias modulantur odas [58]).

Nec in religione christiana deest opinio, angelorum musica coelum personare, quia verba adorationi et laudationi coelestium non sufficiunt. Sancta Caecilia non solum Musa christiana et musicorum patrona est, sed etiam intimae et ardentissimae pietatis in deum exemplar [59]). Sicut Iris pulcherrima in summis nubibus collocata oculis, ita musica auribus est significatio divinae pulchritudinis, vox reconciliationis animi nostri cum ipsius fonte, signum commercii cum deo et similitudinis [60]). E. Insurgis more poëtarum! A. Non indotatus musicae laudes canerem, si me „nascentem placido lumine“ Melpomene vidisset; tot enim ex hac arte hausi iucunditates, ut, si omnes vellem eloqui, dies esset, ac si huius veris conarer enumerare flores. Parentibus meis gratias habeo quam maximas, quod puerum me et adolescentem operam quandam musicae navare voluerunt. E. Tu tam locuples sonorum laudator nescio an Graecorum praecepta revocare cupias, qui summam eruditionem esse in nervorum et vocum cantibus sitam semper fere crediderunt [61]). A. Ii certe errant, qui hanc artem a litteris et nostra educandi ratione alienam esse putant; in quibus etiam sunt gymnasiorum praeceptores. Parum nos, gravioribus studiis plerumque dediti, musicae favemus. E. Quid? Nonne omnes discipulos suo tempore cantui indulgere iubemus? Parvi pendis canendi nostram institutionem? A. Minime vero, modo cantus magistri omnes provinciam suam bene administrent, ne doctrina eorum incurrat in despicientiam; musica enim ad gymnasiorum proposita optime quadrant. E. Quid gymnasiis spectandum esse statuis? A. Non tantum certarum cognitionum comparationem, sed omnium animi — de corpore hic non loquor — facultatum et virium cultum. A Platonis et Aristotelis sententia non recedo, propterea discendum esse, ut animos nostros ad veram, integram, concinnam excolamus humanitatem, non utilitatis solum, vel quaerendae pecuniae causa. Eos valde abhorreo, qui his ipsis temporibus eo usque avaritiae sunt servi, ut nil addiscendum esse adolescentibus perhibeant, nisi quae lucrum in posterum sint paratura [62]). E. Si tu gymnasiorum erudiendi rationem solam probandam esse censes, timeo ne iuste a multis perstringaris. A. Ingenue fateor — nec ullus, qui omnia bene perpendat, aliter iudicabit — non omnibus vitae condicionibus plane accommodatam esse institutionem nostram, quamvis semper tenuerim, antiquitatis profunditatem, venustatem, elegantiam nulla alia re compensari posse. De iis modo cogitabam, qui nil fere sint nec filios suos fieri velint, quam mercatores vel caupones, modo aes affluat. „Virtus post nummos! quaerenda pecunia primum!“ Tale „odi profanum vulgus,“ atque utinam ne tam frequens inveniatur. Adolescentes, si ita debent institui, ut, quidquid in iis sit facultatum ingenii, excolant: litterarum non solum, sed etiam artium cognitionem quandam appetant necesse est [63]). Vis pulcrum sentiendi tam praeclarum datum animo donum est, ut eius neglectio summopere sit vituperanda. Quae ars aptior est

ad sensum illum acuendum, quam musica, quae tam arcte cum animi affectionibus cohaeret? Illud sane diligentissime paedagogis considerandum, quomodo ea utantur. E. Propter id ipsum modo ex te quaesivi, num ad Graecorum instituta tibi recurrendum videatur. A. Talem nostrae adolescentes instituendi rationis immutationem postulare nemini in mentem venire potest; gravissimae enim causae, quae veteribus suadebant et necessariam reddebant musicae diligentissimam exercitationem, nobis desunt. E. Concedo, atque earum praecipua mihi videtur fuisse, quod poësis a musica nunquam fere separabatur; nam nec lyrica, nec dramatica carmina sine sonorum modulatione in publicum prodibant; ne oratores quidem fistula carebant [64]). A. Illud procul dubio summum erat musicae Graecorum et Romanorum, ut p[illegible]arum expressionem iuvaret et verba quasi portaret [65]), nec quisquam omni poësis pulcritudine frui poterat, qui stabiles quosdam modos musicos, νόμους, nesciret. Sed est etiam gravior causa, qua necessaria reddebatur musicorum accurata cura. Vehementiorem enim habebant in animos potestatem. E. Nostris vehementiorem? At comparari vix possunt veterum moduli cum nostra multo praestantiori arte, ut ipse antea indicasti. A. Incredibilia fere tradunt de musicae vi atque potestate. E. Incredibilia sane; nam quae apud Aelianum legi [66]), „credat Iudaeus Apella!" A. De iis num quid velis pro vero habere necne, tuum est pensitare; multa narrari absurdiora, quam quibus fides haberi possit, nemo dubitat. Neque ea, quae de Minerva musica [67]) vel de Orpheo, Arione aliisve bestiarum domitoribus traduntur, aliter interpretanda sunt, quam per allegoriam. Sed singulis harmoniarum generibus certos quosdam tribuebant effectus [68]), qui eo usque constantes et immutabiles habebantur, ut philosophi de modis diligentissima cum distinctione adhibendis leges praescriberent, praecipue paedagogis [69]). Notum est, quantopere harmoniam Doriam ad animos hominum conformandos Plato et Aristoteles contendant [70]); quibus viris fide ab omni parte dignissimis si credis, concedendum, antiquam musicam vehementiore fuisse in animos potestate; tanta enim sonis moliri nos non conamur. Id si potes explica. E. Consuetudinis vi effectum mihi videtur. A. Consuetudinis? Nondum intelligo. E. Exemplo liceat uti. Cur militum nostrorum in bellum proficiscentium symphoniae animos ad fortitudinem evocant? Num propter fortes quasdam modulationes, an instrumenta adhibita an diagramma bellicum? A. Non puto, eaedem enim modulationes iisdem instrumentis effectae alio loco vel alio tempore hilaritatem vel aliam a fortitudine plane diversam animi affectionem eliciant [71]). E. Si vero a militibus bellicosis iidem semper adhibeantur modi, ut in consuetudinem abeant, tum eos puto animum ad fortitudinis cogitationes evecturos esse, etiam si armatorum conspectus desit. A. Sine dubio, sicut cantus pastoralis Helvetiorum adeo excitat desiderium patriae, ut rex quidam Franco-Gallorum eo uti vetuerit, ne milites sui Helvetii desertis signis domum fugerent [72]). E. Consuetudine igitur adiuvante modi musici etiam certum animi habitum movere possunt. Compara musicam veterum. Quoniam varia harmoniarum genera plane segregabant et talia tantum carmina eligebant iisque adaptabant, quae recepto et tralaticio mori singulorum generum responderent, eodem fere modo semper animus per eandem harmoniam affici debebat [73]). A. Placet mihi coniectura tua; ipsa illa modulationum accurata circumscriptio efficiebat, ut certa et vehementi ratione animi moverentur et regerentur. Atque si haec res legum latoribus digna respectu videbatur, non est mirum [74]). Adde haec. Apud Graecos musicorum exercitatio adeo toti populo erat communis, ut nullus fere ea careret [75]), quare quidquid haec ars efficere poterat, quam latissime spargebatur; nec illud praetermittendum, indolem veterum Graecorum per se proniorem fuisse, quam recentiorum populorum, ad eum animi habitum, qui effectui acroamatis musici maxime omnium patet [76]). Sed aberravimus. Eruere voluimus, cur veteres institutionem musicam tanti aestimare debuerint, ut nos omnino aemulari eos non possimus. Tamen persto in sententia mea, gymnasia nostra minore, quam ratio eorum et propositum sinit atque suadet, favore et cura complecti vocum nervorumque cantum. E. Miror. Non infitiabere, litterarum studiosis iam nunc tot et tanta esse munia, ut sine damno institutionis augeri nequeant. Litterarum cognitionem et poëtarum tum veterum, tum recentiorum pertractationem ab adolescentibus poscimus, mathematica et illa, quae de hominum rebus gestis moribusque, quae de naturis rerum dicuntur, et alia multa addiscenda sunt, ut nostrum unusquisque bene sciat, quantae molis sit, discipulos iusto tempore ad finem legibus scholasticis propositum perducere. Amplissimi designati sunt limites eruditionis,

et quicunque animum alacrem et promptum habent artibus litterisque colendis, satis superque iis rebus, quae nunc in gymnasiis tractantur, occupati sunt, ut ab omni supervacuo labore abstineant optandum sit. Atque utinam ne tot adolescentes vana illa sedulitate, quam *ματαιοτεχνίαν* Graeci appellabant, tempus utile conterant, vel nugis. *A.* Atque utinam ne tu artem musicam inter vanas occupationes et nugas numeres! Tales sane, qui, ut ille miles in exercitu Alexandri, ciceris grana in acum inserant, vana agunt et merito contemnuntur, nec alio pretio digni sunt, quam eiusdem leguminis modio. Qui quanto musicis minores! *E.* Bene facis, quod artem tuam tueris, amice! Sed omnis sedulitas, quae ab occupationibus necessariis animum avocat, va[illegible]st quodammodo; necessariae autem sunt, quas nos praeceptores discipulis praescribimus, posito nimirum et concesso, universum in nostra civitate rerum scholasticarum ordinem legesque esse probanda. Ex meis ipsius discipulis nonnullos possum nominare, qui nimio musices amore litteras neglexisse videantur. *A.* In quos tu sine dubio animadvertisti, et merito. Quin etiam illi reprehendendi, qui unam aliamve disciplinam ex iis, quae in gymnasiis docentur, ita tractent, ut ceteras postponant [77]). Has occupationum perversitates recurrent, quamdiu uno quisque studio maxime delectatur. *E.* Si iam nunc perversitatis periculum adest, non exputo, cur, musicae plus momenti tribuendum censens, id periculum a via monstrata deflectendi augeri cupias. *A.* Noli sententiam meam repudiare, priusquam plane eam tibi exposuerim. Quiete satis nos esse refectos existimo; surgamus! Si nimium solis aestum effugere volumus, tempus est lentum pedem referre; inter eundum singula tibi diiudicanda proponam. *E.* Audire gestio. *A.* Paedagogis non solum rationis et intellectus, verum etiam sensus interni, affectionum fontis, rationem in erudiendis adolescentibus habendam esse adstipularis. Nonne vel inde musicam, propter eius vim et efficaciam ad moderandas animi affectiones, ad educationem valere, nec solius ludicri, blandimenti et relaxationis animi causa appetendam esse, tua est opinio? *E.* Prorsus. *A.* Ad musicam commendandam haec sola nobis causa non est. Etiam sensus externi colendi sunt, quorum duobus potissimum pulcrum gustatur, visu et auditu. De gustu, tactu, olfactu hac ratione vix mentio facienda; nam Plato recte, quamvis non satis accurate *τὸ καλὸν* dicit esse *τὸ ἡδὺ δι' ἀκοῆς καὶ δι' ὄψεως* [78]). Annuis. Inde quo iure visum quum aliis rebus tum scribendi, delineandi artibus [79]) excolendum esse perhibetur, eodem dicimus iure auditum pulcris sonis acuendum, vel potiore etiam iure. Nam auditus animo ipsi omnium sensuum proximus est: *ἐν τοῖσι ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει ὁ θυμός*, ait Herodotus [80]). *E.* Non habeo quod contradicam, nisi quod homines novi, quorum sensus musicos sonos aversatur nulla alia de causa, quam quod deus iis perceptionem musicae pulcritudinis negavit. *A.* Vanam et praesumptam opinionem! Nemini deus facultatem pulcrum sentiendi negavit, nullus aurium iudicio caret nisi inexpertus vel surdus [81]). Sed „doctrina vim promovet insitam" [82]), et sensis acuitur et excolitur sensus. Quicunque praetendunt auditum a natura neglectum habere, dicant potius, se artem musicam intentatam reliquisse, facultatem dormientem non excitavisse; propterea fateantur sensum barbariae vitio occalluisse [83]). *E.* Sit etiam istud. Adhuc nondum perspicio, cur tibi nostra canendi institutio non sufficiat. Cantant discipuli horis statutis in schola, cantant in ecclesia, cantent, si ita vis, in palaestra. Quid possit amplius sine detrimento reliquorum studiorum appeti, id velim dicas mihi. *A.* Ordo studiorum, qui nunc est, mihi quidem placet; immutandus non videtur. Sint et maneant curae, quae ultra tempus statutum in musicam impendantur, subsecivae, nam gravioribus discipulorum negotiis nihil temporis est detrahendum. *E.* Quid ergo mutandum? *A.* Primum id agendum, quod antea iam indicavi, ut omnes cantus magistri intelligant, quanta sit iis concessa universae eruditionis pars. Quare necessarium mihi videtur, ut sint politioris humanitatis et omnis liberalis cultus participes, ut vere sint *μουσικοί*, nec phonasci tantum [84]). *E.* Inveniuntur sane, qui a discipulis eruditione superentur. *A.* Quo fit, ut saepe sint inter ceteros praeceptores, sicut Saulus, quod dicitur in proverbio, inter prophetas; tenui apud adolescentes auctoritate gaudent. Hoc vero valde dolendum. Nam quis est paedagogus, qui non concedat, omnium magisterii collegarum cooperatione opus esse ad quodvis egregium in educatione propositum assequendum. Mihi valde placuerit, si in academiis iuvenes litterarum studiosi, qui in posterum magisterio in gymnasiis fungi velint, quum occasione oblata, tum publica exhortatione impellantur, ut musicae operam dent; idem nescio, cur in examinibus, quibus eruditio nostra et facultas docendi tententur explorenturque, musica

locum habere non possit [85]). Nonne eadem inferioris magisterii candidatis tanquam necessaria commendatur, nonne, qui arti gymnicae student, publice adiuvantur? Si omnes cantandi praeceptores simul essent litterarum magisterii collegae, musica vinculum iucundissimum fieri posset hilaritatis inter magistros discipulosque. *E.* Pia tua desideria! *A.* Desidero inter discipulos nostros acroamatum musicorum gratia conventus [86]. *E.* Desideras? Conveniunt. Heri sub vespere cum per plateas forte ibam, cantum audiebam provenientem ex umbraculo discipuli tui Ioannis, qui num rhythmos Horatianos tibi tam bene noverit, quam musicos, dubito. *A.* Nec hos, nec illos scit, quia omnem laboris gravioris contentionem et accuratam diligentiam subterfugit. Quid cantabant? *E.* Prius nihil audiebam, nisi „Integer vitae" et gaudebam. Mox autem, dum ambulatione finita per eandem viam revertor, maior mihi et suspectior quidam ad aures pervenit tumultus. Domum ingredior et per gradus ascendens non amplius audio vitae integritatis laudes, sed gravi voce „cerevisiam homines, animalia cetera fontes" bibere idem tuus Ioannes ceteros docebat. Quid multa? Cauponae similius deprehendi cubiculum, quam museo; discipuli nostri bibebant, chartis ludebant inter cantica — nempe conveniunt musicae causa! Tales si non fierent congressiones, melius esset. Sicut Ulixes sociis aures cera obstruxit, ne Sirenum illecebris in naufragium deducerentur: ita nostrum est id agere, ne discipuli vanitatum voluptatumque blanditiis decepti et a recto itinere abducti in vada et scopulos deferantur. *A.* Ergo puniemus iuvenes. Sed illud quaeritur, num remedium inveniamus, quo in posterum similia conventicula impediantur. *E.* Habemus leges nostras scholasticas, habemus corrigendi, castigandi, expellendi potestatem, quibus discipulos malevolos atque adeo recalcitrantes cogamus, ut nostra observent praecepta. *A.* Habemus; sed noli aegre ferre, quod nos cum omnibus nostris legibus talia nunquam satis prohibituros esse peccata contendo. De eo quod cum omnes homines, tum pueri et adolescentes in vetitum semper nituntur, tacebo, sed naturali animorum applicatione iuvenes feruntur, ut inter se congrediantur. Quamdiu autem soli et plane incustoditi convenient, peccabunt „intra muros et extra.", *E.* Nos simus contenti, facientes quodcunque omni diligentia adhibita possumus; satis est, reliqua parentum sunt. *A.* Si vetamus tantum et castigamus, satis non est, videndum potius, quomodo repellamus nocitura et vitemus poenas. Tu antea Ulixis exemplum attulisti, ego Argonautas arcesso. Qui quum insulam Sirenum praeternavigarent periculumque esset, ne molli ac delicato cantu virginum alatarum ad exitium perducerentur, in Orpheo perfugium habuerunt; is enim assedit in puppi et cantu suo tanta simul aures animosque audientium voluptate complevit, ut iam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Ita adolescentes talibus voluptatibus frui discant, quibus pravas gustare prohibeantur. Congressus discipulorum extra scholam plane vetare velle, me iudice insipientis est; non solum quia omnes leges invalidae nocent, sed etiam quod utile, necessarium fortasse est commercium quoddam discipulorum extra scholam. Conveniant igitur praeceptoribus praesentibus non solum discendi causa, sed etiam ut hilaritate vires recreent. [87].) Nulla re magis allicientur, quam musica, qua quod praeclarius blandimentum simul et elegantius studium! *E.* Restat, ut caussas mihi afferas, cur necessarium esse statuas, ut extra scholam discipuli conciones instituant. *A.* Continua magistrorum cooperatione stabilitur denique studiorum morumque disciplina, quae adeo fit res communis, ut vix unus alterve aperte ei obluctari audeat. Quae disciplinae communitas cum totum discipulorum corpus penetret et sit quasi aër, qui omnes circumfundit, vel nolentibus sese infert, ut iuniores praecipue et tirones recenter recepti ei se subtrahere nequeant. Communitas autem eadem cogitandi, sentiendi, appetendi, repudiandi egregia est morum rectrix vel effectrix, quare deliberatio paedagogis dignissima est, quomodo honestas utilesque efficiant congressiones et communitatem inde [illegible]antem tueantur, ut singulus quisque se integri corporis esse membrum quovis tempore meminerit [88]). *E.* Dimidiam diei partem una sunt. *A.* De severiore communitatis parte cogitas; sit etiam levior. *E.* Perpetuus [illegible] [illegible] domibus convictus tibi videtur esse in optatis; is enim valde ea ad[illegible]abit, quae ut instituantur cupis. *A.* Non mehercle! Ne abstrahamus liberos e sinu gremioque parentum! Sine convictu illo communitas utilis adolescentium esse potest, si libere conveniunt sine morum damno. Id praecipue mihi est in votis, ut conventicula, quae repelli nec plane possunt, nec debent, meliora reddantur; ad hoc optatum [illegible] dum musica voluerim uti [89]). Si adolescentum nativa alacritas nimium comprimitur sive severiorum [illegible]

orum assiduitate sive maiore laetitiae temperatione, surrepit languor quidam scholasticus, quem sequitur desidia vel eorum, qui natura non sunt inertes; intenti laboris hebescit acies et remissus animorum vigor per ignobilem socordiam elanguescit. Inde parentes haud raro ipsique praeceptores conqueruntur de absentia liberae atque simplicis puerorum alacritatis [90]) et, cum falso litteras accusent nimiae austeritatis, leges scholasticas rigoris, persaepe vel mollioris perniciosique argumenti librorum lectionem vel pervicacem eorum, quae a magistris iubentur aut vetantur, contemptum connivendo praetermittunt [91]). Huc accedit, quod cum parentibus discipulisque minima persaepe nobis est conversatio [92]). Quae res quantopere dolenda sit, nostrorum collegarum nullis, nisi forte doctoribus umbraticis, non constare mihi videtur; vera enim humanitas libero animorum commercio gignitur, quod inter eruditores erudiendosque intercedat, efficax morum praefectura non crimina inquirendo solum, sed pudorem famae publicae excitando, denique bona disciplina efficitur, si praeceptores cum parentibus una agunt. ***E.*** Res proponis expetendas, quas si possimus assequi, haud parum nos promotum iri statim concedo. ***A.*** Experientiam tentemus! Stat mihi sententia, fore ut multa et perversa in bonam partem immutentur, si eo pervenire possimus, ut discipuli, auspicio gymnasii, libere acroamatum vel exercendae musices causa inter se coeant. Non dubito, quin brevi tempore vocum organorumque ope iucundissima oblectamenta affluant hoc potissimum tempore, cum vix ulla sit domus, in qua non inveniatur instrumentum musicum qualecunque; cum ne pauperum quidem liberi omni modulandi institutione careant. Duo, tres, quatuor, nedum plura varii generis organa facile consociari possent; nec desunt scholae, quae symphoniacorum choros e discipulis composuerint [93]). Frontem contrahis? ***E.*** Vereor, ne hoc nisi cum neglectione rerum magis necessariarum fieri non possit. Mihi quidem discipulo hac de causa, cum choro cuidam symphoniaco tibicen vellem interesse, negatum est. ***A.*** Bene fecit, qui vetuit; nam occasiones frequentandi cauponarum consortia, quae saepissime coniuncta sunt cum musicorum congressibus, arcendae, et discipulorum consuetudines cum iuvenibus, qui ordinem scholasticum non curant eiusque in legibus sunt peregrini, dissuadendae sunt. Equidem discipulorum coetus a praeceptoribus, qui illorum usum liberiorem non fastidiant, convocatos cogitatione mihi depingo. Quodsi musicam hic solam appello, nolo alius generis acroases, velut recitationes, ne iocos quidem recusare, sed omnem doctrinam nimis tetricam. Musicam primo loco pono et propter eius ad animum conformandum vim atque utilitatem, et propter fructus provectiore aetate ex ea percipiendos. Vix habere mihi videris, cur metum admittas, ne labores ad studia imperata pertinentes postponantur; quid impedit, quominus ipsa permissione canendi aut interdictione diligentia honoretur, desidia vindicetur? Nam qui musicae gratia ad neglectionem ceterorum studiorum inclinant, illam tali solent amplecti favore, ut vix aliud iis inveniatur incitamentum laboris efficacius. Et tantum abest, ut scholam egressis haec ars vanarum et perversarum occupationum numerum augeat, ut ab iis retineat: qui eo usque in rerum musicarum cognitione profecerunt, ut pulcritudinem iis inhabitantem cognoscant et percipiant, horas subsecivas in melioribus rebus consument, quam qui sonorum suavitate non alliciuntur; id quod omnes puto compertum habere, qui inter academiarum cives versati sunt. ***E.*** Sententia tua te defendente magis magisque probabilis mihi videtur. Dum verso cogitationes, alia etiam re adducor, ut ad te transeam. Nihil enim novi iucundius, quam si pater familias, diei vel hebdomadis exanclatis laboribus, liberos, familiares ad hemicyclium suum convocat et musica domestica, sermonibus festivis et ludis interpositis, fruatur; sicut Athenaeus refert, Lacedaemonios a vitae frugalitate et austeritate ad musicam se convertisse [94]). In parentum sinu, ut antea significavisti, vere educantur pueri et adolescentes; ergo ad domesticam educationem recedamus [95]), ad congressiones familiares hoc tempore rariores, quarum, amore excepto, nullum fateor reperiri firmius vinculum, quam recreandi communitatem. Atque id spectans meliorem et frequentiorem organicae musicae exercitationem optaverim. Unum tamen adhuc est, quod dubitationem quandam mihi moveat. Omnibusne discipulis suadendum est, ut muneribus operibusque musicis manum admoveant? Humanae vocis cantus facile discitur, quantum vero temporis absumatur primis organorum elementis discendis, tu quidem docendo comperisti; quantum ei adhibendum, qui melius aliquid, ne dicam egregium, consequi velit, facile divinari potest [96]). Omnia appetere vitae brevitas non permittit, ne iis quidem, qui Xenophili ad senectutem sint perventuri [97]). Nonne satis est

[illegible] musicam pulcritudinis amorem excitare et ingenium emendare? *A.* Hanc quaestionem proponit iam Aristoteles et absolvit. Fieri vix posse dicit, aut ne vix quidem, ut qui praestare ea, quae sint artis, non possint, de arte recte sapienterve iudicent, eique perspicuum esse videtur, ita musicae dandam esse operam, ut etiam munus artis exequamur [98]). His nostris diebus experientia saepissime docet, quam ridicula saepe inaniaque iudicia multi expromant, qui ex auditione sola sibi affluxisse musicae cognitionem putent. *E.* Usque ad quem finem igitur discipulis peritiam canendi vel psallendi conciliandam esse censes? *A.* Iterum Aristoteles tibi respondeat: In eiusmodi rebus tamdiu versabuntur, dum possint gaudere praeclaris sonis et elegantibus numeris delectari, et non solum genere musicae communi. Improbat philosophus eam artificibus convenientem disciplinam, quae ad certamina pertineat, propterea quod qui ea [illegible], non agat ut sibi virtutem pariat, sed ut auditores voluptate afficiat [99]). Hoc Graecis quidem [illegible] est, sed convenit etiam in nos eruditioni musicae non eodem modo addictos. Veteres enim cum enharmonico sonorum genere uterentur [100]) et plus mille sexcenta signa conscribendis modulationibus inventa haberent [101]), tres annos solis rudimentis impendere debebant [102]), ut nostra ad modicam musicae cognitionem adhibenda opera vix comparari possit; nam hodie notae musicae pro copia et diversitate pulcritudinis, quam possunt significare, simplicissimae sunt. Si Graeci nostram habuissent σημειογραφίαν, musicam artem, quae erant eorum ingenii vires, magis excoluissent. *E.* Si elementa nunc facilia sunt ad discendum, qui fit quaeso, ut tam multi adolescentes, quamvis abunde temporis cum musicis contriverint, imperiti permaneant? *A.* Eius rei quum praeceptoribus, tum parentibus plerumque culpa imputanda est. Quomodo enim, sancta Caecilia! in familiis nostris musica tractatur! Non artis causa, sed quoniam tempus ita fert, quaeritur phonascus, qui dum parvam mercedem sibi poscat, qualiscunque musicus vel paedagogus facile invenitur. Is, cum sciat, quid parentes desiderent, filiolum opinata quadam et fucata doctrina quam brevissimo tempore eo perducit, ut modos nescio quos levissimi argumenti discat, quibus coffeae vel theae potum sorbentium imperitas aures oblectet. Quam saepe fit, ut praeceptores nec velint, nec possint discipulorum animos vera musicae dulcedine commovere, sed titillare tantum sensus; quam multi sunt parentes, qui liberos suos severa lege nolint proficere [103]), sed inanem quaerant ostentationem. Nutrimentum vere salubre ingenio raro praebetur; putant enim, tale multis auditoribus minus placere, discipulos deterrere. Illud saepe verum, hoc falsissimum est; nam quo solidior est instituendi ratio, eo celeriores et in aliis rebus et in musica sunt progressus [104]). Si gymnasiis permissum esset, quandam in musicis auctoritatem interponere, nonnulla aliter fierent. *E.* Multi nostrum eam tamquam ingratam et fere inutilem recusarent. *A.* Qui lectionem domesticam diligenter, quantum licet, observant, ii inutile et ab officio suo alienum esse credant, musicarum occupationum respectum aliquem habere? At acroamatum delectus minoris momenti non est, quam librorum; nunc ipsum, ubi quomodo tempore Anaxilae „musica perinde ac Libya novum quotannis (vel potius quotidie) aliquod portentum parit" [105]). Nam prava musica ut illud Harmoniae monile [106]) corrumpit animum et pessumdat, quia polluit infuscatque sensum. Diluvii instar post Octavianum Petrutium [107]), musicae quas vocant compositiones nos fere inundant, quarum innumerabiles sunt animo periculosae. Inter divinandi genera, de quibus veteres scribunt, unum est, quod Graeci καπνομαντεῖαν i. e. per fumum divinationem dicebant [108]); ei simile apparet stolida illa affectionum captatio, qua efficitur, ut tristitia severa et petulans hilaritas, amoris integritas et libidinis cupido, odium, furor inesse credantur in modis musicis, qui adversus speciosos titulos re vera tenuia tantum sunt artis specimina. Tamen est magnus auditorum numerus, qui languidae sensus interni mollitiei inservientes libenter eam in viam se flecti patiantur, quam „mellita verborum globuli" animo per inscriptiones inculcati monstrant [109]). Quam absurda saepe tales quasi somniorum interpretationes! *E.* Subsiste! Haec non constantissime dicere mihi videris. Eum, qui sentiendi [illegible], iubes affectiones supprimere? *A.* Ne supprimat. Verum quamvis ex animi affectionibus profluat musica, [illegible]um tamen esset, inter audiendum effusius favere motibus horroris, voluptatis aliisque [illegible] animus diffluens, ut ita dicam, a clara cogitatione sevocatur, et sentiendi luxuriei traditus [illegible] nimium nescitur, si cogitandi vis evanescit affectuum ardore [110]). Supremum et musicum in primis esse [illegible] dicit Plutarchus, adhibere cunctis rebus debitam et congruentem mensuram et motum [111]), quare [illegible]am

musicam gustare discant pueri! Pellantur istae ineptiae et in malam rem abeant per fumum divinatores! Id videant paedagogi, ne quid detrimenti animus adolescentum capiat, et adsint repugnantes, ubicunque insalubre porrigitur alimentum. Omnium qui me quidem delectaverunt, musicorum maxime commendandus Haydenius noster, qui dilucidus ut Homerus, pius ut Pindarus, castus ut Virgilius, unus est e musicae principibus, non pannis undique desumtis, sed regia vestitus purpura. Nemo tam similis est adolescentum [112])! *E.* Haydenium vel alium ei parem ut cognoscant, non satis est clavichordio canere; summa enim eorum virtus saepissime cernitur in operibus, quae usum postulant eorum organorum, quorum fides pilo equino fricantur [113]). *A.* Clavichordium plerumque eligitur, praecipue quia tironi iucundissimum et inter organa πολύφωνα post pneumaticum est praestantissimum; primum vero inter ὁμόφωνα est violina, cui maiorem apud paedagogos et discipulos optaverim favorem [114]). Aristoteles delectum instrumentorum tanti putat esse momenti, ut de iis prolixe disputet [115]). Sed cum ad hoc argumentum delapsi simus, quod silvam rerum disputationi praebet, tempus est finem colloquio imponere; ecce nos ad urbis portam!

Digredimur. Appropinquante meridie domum intro optans ex animi sententia:

Proveniant verni sic mihi saepe dies! [116])

Tu autem, candide lector, quicunque fronte remisso nos comitari voluisti, vale faveque!

ANNOTATIONES.

1) De tranquill. an. 15.

2) Herder. Stimmen der Völker (ed. Heyne 1829) p. 190. De lusciniae cantu cf. Plin Hist. nat X, 43.

3) Or. 55: „Notatio naturae et animadversio peperit artem". Idem de orat. 197: „Omnis ars a natura profecta". — Uberius de hac sententia agit Ludovicus Vivis de prima philosophia lib. II: „Ars est naturae aemulatio, eaque quantum facere potest, conatur naturam exprimere: quod nusquam assequitur" et q. s.

4) De rer. nat. V, 1376 sqq.

5) Deipnos. IX, 48, ubi allato Alcmanis fragmento haec leguntur: „Διὸ καὶ Χαμαιλέων ὁ Ποντικὸς ἔφη, τὴν εὕρεσιν τῆς μουσικῆς τοῖς ἀρχαίοις ἐπινοηθῆναι ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ἐρημίαις ᾀδόντων ὀρνίθων· ὧν κατὰ μίμησιν λαβεῖν στάσιν τὴν μουσικήν." — Marcianus Capella libro nono (qui agit de musica) Harmoniam inducit dicentem: „Ipsisque me pastoralibus fistulis vel cantus avium, vel arborum crepitus, vel susurros fluminum imitantibus non negavi." — Lucretii versus defendit Dornheim. in libello scholast. Detmold. 1851, qui inscribitur: „De primordiis musicae graecae usque ad aetatem Homeri" p. 4. Mira ibi leguntur verba: „Vetus illa opinio, homines ab avibus musicam sive modulationes vocis doctos esse, iam propterea probabilis videri potest, quod quisque avis suos canit proprios modos, quos semper repetit neque unquam mutat. Iam Dionysius Halicarn. recte monet, naturalem quandam omnibus fere hominibus inesse inclinationem et familiaritatem ad percipiendos concentus et numerorum concinnitates. Quum igitur ab iisdem avibus iidem semper audirentur modi, facile dulcedine ac suavitate vivae vocis ad imitationem homines incitabantur, et auribus eruditis iuvantibus, prospere imitabantur." — Contra Godofr. Hermannus ad Aristot. Poet. I, 4 (quem locum item intellexerunt de iis, qui animalium varias voces scite imitari callerent), vulgatam lectionem διὰ τῆς φωνῆς ineptam esse putans, praeeunte Buhlio in διὰ τῆς φύσεως eam immutavit.

6) Geogr. VI. Cf. Antholog. Graec. lib. IX. epigr. 584, quod, cum non inveniatur in Iacobsii Delectu epigr., hac adscribam:

> Εὔνομον, ὦπολλον, σὺ μὲν οἶσθά με, πῶς ποτ' ἐνίκων
> Σπάρτιν ὁ Λοκρὸς ἐγώ· πευθομένοις δ' ἐρέω.
> Αἰόλον ἐν κιθάρᾳ νόμον ἔκρεκον· ἐν δὲ μεσεῦσᾳ
> Ὠιδᾷ μοι χορδὰν πλᾶκτρον ἀπεκρέμασεν.
> Καί μοι φθόγγον ἑτοῖμον ὁπανίκα καιρὸς ἀπήτει,
> Εἰς ἀκοὰς ῥυθμῶν τὤτρεκὲς οὐκ ἔμενεν.
> Καί τις ἀπ' αὐτομάτου κιθάρας ἐπὶ πῆχυν ἐπιπτὰς
> Τέττιξ ἐπλήρου τοὔλλιπὲς ἁρμονίας·
> Νεῦρα γὰρ ἓξ ἐτίνασσον· ὅθ' ἑβδομάτας δὲ μελοίμαν
> Χορδᾶς, τὰν τούτου γῆρυν ἐκιχράμεθα.
> Πρὸς γὰρ ἐμὰν μελέταν ὁ μεσαμβρινὸς οὔρεσιν ᾠδὸς
> Τῆνο τὸ ποιμενικὸν φθέγμα μεθηρμόσατο,
> Καὶ μὲν ὅτε φθέγγοιτο, σὺν ἀψύχοις τόκα νευραῖς
> Τῷ μεταβαλλομένῳ συμμετέπιπτε θρόῳ.
> Τοὔνεκα συμφώνῳ μὲν ἔχω χάριν, ὃς δὲ τυπωθεὶς
> Χάλκεος ἁμετέρας ἕζεθ' ὑπὲρ κιθάρας.

Alciatus (Emblem. p. 634) ex hac narratione pulcrum hausit emblema. Cicadae vocalis cantus apud veteres in proverbium abierat, ut apud nos lusciniae. Cf. Erasmi Adag. p. 321 (Cicada vocalior) et p. 208 (ad fractam canis). Fischer. ad Anacreont. XLIII, 1. Aristot. Hist. anim. V. 30. cett.

7) Philomelae cant. sive an. chr. aff. IV (Agon musicus philomelae):

— Moritura, nunc olores,
Nunc imitatur aquas prope littora lene murmuranteis,
Mox graviore sono pluviam secat, et tumultuatur
Tractibus, assurgitque ad summa, relabiturque sensim
Unica, ceu plures, sibi dulce negotium facessit.
Hoc opus, hic ludus. Nec ludere desinit, prius quam
Rumpatur pectus. Quod saepius, occidente Phoebo,
Hesperus advertit, mortem miseratus innocentis.
Saepe etiam viridi si forte sub arbuto choraules
Aemulus accinuit, certamine victa, laureatae
Incidit in chordas testudinis, et suam sonanti
Infundens animam, meruit quoque funerata lessum.

cf. Herder. Terpsich. p. 178.

8) Ceterum loci illius in Aristotelis Poet. cap. I qui est de imitatione naturae, intelligentia magnam dubitandi materiem praebet, quam Godofr. Herm. sagacissime, ut solet, dirimere studet. Cui non dubito accedere dicenti: „Si accurate (Aristoteles) locutus esset, poëseos naturam, quandoquidem semel in hac opinione versabatur, posuisset in imitatione actionum, musices, et eius quidem universae, naturam in imitatione affectionum. Sed non ita diligens fuit" cett. — Totam Aristotelis opinionem de imitatione idem refutat in Commentat. de trag. et ep poesi.

9) Lessing. Laocoon II.

10) De tota quaestione cf. Hanslickii librum, qui inscribitur: „Vom Musicalisch-Schönen." Lips. 1858. cap. VI. — F. Th. Vischeri: „Aesthetik od. Wissenschaft des Schönen" III, 2, 4. Stuttg. 1857. §. 760. — Fétis. sen. commentat: „Die Natur und die Musik" in Bischoffii Act. mus. VI N. 39. 40.

11) l. c. v. 1379. Respicit ad hunc locum Fétis. l. c.

12) Cf. Kullak: „Das Musicalisch-Schöne." Lips. 1858 p. 106 sqq. Schleiden. „Studien" p. 180 (13).

13) l. c. p. 111. Nostrum G moll. Vide quae contra hoc somnium affert Bischoff. Act. mus. III N. 18.

14) De iis, quae ad musicae historiam pertinent, adi Kiesewetter: „Geschichte der europäisch-abendländischen und unserer heutigen Musik" 1834.

15) Plato de legg. II duo illa nomina ῥυθμὸν et ἁρμονίαν distinguens scribit, ῥυθμὸν esse ἐκ τοῦ ταχέος καὶ βραδέος et ἁρμονίαν ἐκ τοῦ βαρέος καὶ ὀξέος, quae definitio quanto latiorem habeat sensum, quam nostra, statim vides. Cf. Sympos. p. 187. „οὐ γὰρ δή που ἐκ διαφερομένων γε ἔτι τοῦ ὀξέος καὶ βαρέος ἁρμονία ἂν εἴη· ἡ γὰρ ἁρμονία συμφωνία ἐστί, συμφωνία δὲ ὁμολογία τις" κ. τ. λ. — Gassner. Universal-Lexicon der Tonkunst s. v. Griechische Harmonie.

16) l. c. p. 102.

17) Leibnitz. epp. ad divv. I. 144: „Musica est exercitium arithmeticae occultum nescientis numerare se animi" Hansl. l. c. p. 101: „Die „Musik" der Natur und die Tonkunst des Menschen sind zwei verschiedene Gebiete. Der Uebergang von der ersten zur zweiten geht durch die Mathematik." Cf. etiam Vischer. l. c. §. 762.

18) De rerum inventoribus I. 14.

19) Evolve Plutarch. de musica. Dornheim l. c. p. 6 sqq.

20) Vatin. 6. Operae pretium est comparare, quod c. a. 1690 musicus quidam nomine Prinz scripsit: „Es soll aber der Schöpffer Himmels und der Erden billig der Urheber der Music genennet werden, nicht nur weil er die wunderbare Zusammenstimmung Himmels und der Erden componiret, sondern auch, weil er die Luft den Schall zu empfangen und fortzupflanzen, und die Ohren denselben zu vernehmen und davon zu urtheilen, geschickt und bequem erschaffen; sonderlich aber auch, weil er denen Menschen unterschiedliche Anreitzungen, den Gesang zu erfinden, an die Hand gegeben hat, als da sind gewesen die Vernunfft, die in der Höhe und Tiefe veränderliche menschliche Stimme und dann ein sonderbarer Trieb der Natur. Denn es ist gewiss, dass ohne diese drei Stücke die Music keineswegs hat können erfunden werden". Bischoff. Act. mus. VI. N. 24.

21) Schiller:

Leben athme die bildende Kunst, Geist fordr' ich vom Dichter
Aber die Seele spricht nur Polyhymnia aus.

Simili modo Herderus. Sadii usus auctoritate cantum appellat „der Seele Gewalt" (Blumenlese aus morgenländ. Dichtern ed. Müller p. 109.) Eiusdem versus nonnullos pulcherrimos e carmine quod inscribitur: „Die Tonkunst. Eine Rhapsodie" facere non possum quin hic afferam:

Als Adam, als die erste Mutter einst
Den ersten Todten sahn, ach ihren Sohn!
Und den erschlagnen kalten Leichnam (nun
Auf ewig kalt, auf ewig todt!)
Mit starrer Hand umfassten,
Und ihre Seelen untergeh'n,
Versinken wollten in verstummtem Schmerz;
Da war's, da regten Töne sich
Des Mitgefühles einer andern Welt;
Der Ewigkeit verschlossenes
Gewölbe brach; Musik erklang auf Erden.

22) Cf. Scheidler. in Ersch. et Gruber. Encyclop. s. v. Gefühl. Ipsa nostra vocabula Gefühl, Gefühle, Gemüth difficillima sunt latine scribenti.

23) Cic. de Or. II, 37, 156.

24) Herder, „über den Ursprung der Sprache„ (ed. Müller 1827) p. 7. Eandem quaestionem acutissime tractavit Iac. Grimm. in libro suo: „Ueber den Ursprung der Sprache" (ed. IV. 1858).

25) Eo vero illas multum differre ait Hanslick. l. c., quod linguae sonus nil sit nisi adiumentum, musicae contra res ipsa quae spectetur; quare aversatur comparationem musicae et linguae. Discrimen potius eo videtur contineri, quod affectiones animi aliter utuntur eodem sonorum adiumento, quam cogitationes. Cf. Vischer. l. c. p. 791. Linguam cum musica viri docti semper comparaverunt. Cf. Dornheim. l. c. in. ibique locum e Francisco Salinate allatum. Similitudinem vero nemo eo usque contendit, quam fecit Th. W. Richterus in libro, cuius est titulus: „Die Grundverhältnisse der Musik" (1853); tom. I continet: „Die Grundverhältnisse der musikal. Harmonie (Formenlehre)" tom. II: „Die Grundverhältnisse der Musik als Sprache (Sprachlehre)" ubi plane grammaticorum more procedit. Cf. praecipue §. 1, 2. Consentiunt etiam K. et M. Lanz. in libello „über die pädagogische Behandlung der Musik auf Grundlage der Gehörentwickelungs-Methode" (1855) p. 6. Csillagh, „Aesthetik der Tonkunst in Verbindung mit einer ausführlichen Grammatik und Poëtik der Musiksprache" I (1854). „Ideen und Betrachtungen über die Eigenschaften der Musik" (1858) p. 16 (elegans libellus, quem a Georgio quinto rege Hannovriae μουσικωτάτῳ conscriptum esse dubitari non potest.

26) Cf. Pfarrius: „Ueber die Natur des Gesanges und sein Verhältniss zur Dichtkunst" in Bischoffii Act. mus. IV No. 13. 14.

27) „μουσικὴ λέξις" appellata a Dionysio Halicarn. (de comp. verbb. c. 11) J. P. T. Richter. musicam vocat „die Poësie der Luft". Quantopere historia poësis similis sit musicae, docet opusculum luculentum, quod prodiit in libello scholastico Rottweil. (1850) auctore Birklero: „Ueber den Entwicklungsgang der Dichtkunst und Tonkunst." -

28) Graeci tradunt, primam hominum linguam fuisse cantum. Cf. Herder. „üb. d. Urspr. d. Spr." p. 64 — Quinctil. I, 10, 10: „Et Timagenes auctor est, omnium in litteris studiorum antiquissimum musicen extitisse." — Observandum etiam, multas voces de linguae accentu esse in usu, quae primo et proprio sensu valent de musica: accentus (cano) προςῳδία (ᾄδειν), τόνοι, τάσεις, ὀξύς, βαρύς, gravis, acutus; item ἀνειμένη, ἐπιτεταμένη, accentus superior et inferior, sonus summus et imus: omnia haec vocabula ad musicam pertinent. Cf. Dionys. Halic. de comp. verbb. c. 12.

29) Baldii Lyric. II, 21 (Lyra Pythagorae):

Inter argutas resonare chordas
Est Amor princeps.

Herder. Terpsich. p. 28. Tieckius:

Süsse Liebe denkt in Tönen, Denn Gedanken steh'n zu fern,
Nur in Tönen mag sie gern Alles, was sie will, verschönen.

Cf. etiam Eryximachi sermonem in Platonis Convivio.

30) Plut. Sympos. probl. I, 5.

31) Preller. Griech. Mythologie II, p. 20.

32) l. c. p. 38.

33) de Architect. VII, 5, 3.

34) Grottescae, quod in terra obrutis veterum aedificiorum fornicibus, quae grottae quasi cryptae vocabantur, primum inventae sunt; arabescae ab Arabibus inventoribus appellatae.

35) Cf. eiusdem verba p. 37: „Die sinnvollen Beziehungen in sich reizvoller Klänge, ihr Zusammenstimmen und Widerstreben, ihr Fliehen und sich Erreichen, ihr Aufschwingen und Ersterben — dies ist, was in freien For-

men vor unser geistiges Anschauen tritt und als schön gefällt". P. 38 „Jeder von uns hat als Kind sich wohl an dem wechselnden Farben- und Formenspiel eines Kaleidoscops ergötzt. Ein solches Kaleidoscop auf incommensurabel höherer Erscheinungsstufe ist Musik. Sie bringt in stets sich entwickelnder Abwechslung schöne Formen und Farben, sanft übergehend, scharf contrastirend, immer symmetrisch und in sich erfüllt."

36) Vischer l. c. § 749.

37) De hac arabescarum proprietate vide, quae monet Lübke Architectur (1859) p. 220.

38) Eupolis ap. Athen. Deipn, XIV, 18: „Καὶ μουσικὴ πρᾶγμ' ἐστὶ βαθύ τι καὶ καμπύλον, ἀεί τε καινὸν ἐξευρίσκει τι τοῖς ἐπινοεῖν δυναμένοις."

39) Doctrina eorum defenditur in Brendelii Actis musicis, quae Lipsiae prodeunt. Clarius, quamvis paucis verbis, eam explicat et recenset Vischer. l. c. §. 832. Ceterum, quo quis magis Lisztii, Wagneri aliorumque ingenium admiratur, eo minus me iudice ferre potest praeconibus illum vel buccinatoribus accommodatiorem, quam artis subtilissimae defensoribus modum, qui lectorem commentationum Brendelianarum offendit.

40) Quam parum animo veri musici sufficiat mera organica musica, Beethovenii nonam symphoniam aiunt monstrare, quam in Schilleri ad gaudium carmen excurrere nemo nescit. „Beethovens ganzes grosses und ernstes Leben stellen wir uns wie in geistigen Geburtswehen begriffen vor, den Geburtswehen des bestimmten Gedankens, ausgesprochen durch die Sprache der Töne." Cornelius in Brendel. Act. mus. 1854 No. 24. Meram instrumentorum musicam improbavit iam Plato (de Legg. II. 670); cui si quis accedere inclinet, ne obliviscatur, veterum organicam musicam propter instrumentorum angustias et harmoniae defectum vix aliud nomen mereri quam artis incunabula.

41) „Programmenmusik" vocant hoc musices genus.

42) Vischer. l. c. §. 748. „Λάλον ποιεῖ τὸν σιωπηλόν" Graeci dicebant. Heynius talem indicat affectionem animi, carmen illud notissimum „Die Loreley" incipiens: „Ich weiss nicht, was soll es bedeuten, Dass ich so traurig bin" Item cf. in Shakespearii Mercatore Venet. verba Antonii ineunte fabula.

43) Cf. quod de mera organica musica sentit Lamartinius in Bischoff. Act. mus. 1858 No. 29 Vischer: l. c. §. 764. „Die Vocalmusik ist nicht reine Musik, zunächst weil sie mit dem vollkommensten Organe, der menschlichen Stimme, auch einen Grad der Abhängigkeit vom Naturzufall in Kauf nimmt, welchem das Instrument, das als passives Object, getrennt von der Persönlichkeit in deren Hand ist, nicht unterliegt; das Material soll ja (vgl. §. 490) todter Stoff sein; sie ist es aber auch aus dem tieferen Grunde, weil sie das Gefühl nicht in seiner Reinheit, sondern in seiner Verbindung mit dem begleitenden Bewusstsein darstellt. Die Musik ist ja eben da, weil Worte nicht genügen, das Gefühlsleben auszudrücken".

44) In universum consentit Aristot. Polit. VIII, 5.

45) Cf. Montesquieu. „sur le goût", cap. „de la liaison accidentelle de certaines idées".

46) Inst. or. X, 7, 15. Cf. Goethii illud:

Wenn ihrs nicht fühlt, ihr werdets nicht erjagen,
Wenn es nicht aus der Seele dringt
Und mit urkräftigem Behagen
Die Herzen aller Hörer zwingt.

47) Cf. van Heusde Initia philosophiae Platonicae II, 2 p. 26 sqq. p. 27: „Semper attendens (Plato) animum nostrum, sive de artibus quaerebatur, quae ad humanitatem pertinent, de musica, de poësi, de pictura, sculptura, caeteris, omnes ex pulcri amore "(Aristid. p. 130 ed. Meibom.: Σκοπὸς τῆς μουσικῆς τὰ τοῦ καλοῦ ἐρωτικά), „tanquam fonte communi, et naturalibus hominis studiis ac sensibus, ex imitandi studio, ex rhythmi harmoniaeque sensu derivavit: sive quaestio agebatur quae doctrinas spectaret, quid sit discere? quid docere? ut pulcri illic, ita hic veri in homine amorem exploravit. — Quam artium communem originem attendentes non possumus non cum percipere Ciceronis effatum, tum probare, contineri eas cognationis cuiusdam vinculo." Cicero (de Orat. I, 3) philosophiam vocat „parentem et procreatricem artium omnium laudatarum et doctrinarum." Musica et philosophia quam parum diversae habeantur apud veteres, vides ex Platon. Phaedone p. 60 E (c. not. Stallbaum.) Phaedr. p. 248 D (cum not. eiusd.) — Quinctilian. Inst. or. I, 10, 9: „Nam quis ignorat, Musicen tantum iam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem Musici et vates et sapientes iudicarentur."

48) Cf. Budaei commentat. ling. Graec. p. 1084 sq. Plato de legg. VII, 795, E. „Τὰ δὲ μαθήματά που διττά, ὥςγ' εἰπεῖν, χρήσασθαι συμβαίνοι ἄν· τὰ μὲν ὅσα περὶ τὸ σῶμα, γυμναστικῆς· τὰ δ' εὐψυχίας χάριν, μουσικῆς" Cf. all. locos ap. eundem et Aristotelem, quos hic afferre longum est. Eadem significatio vocabuli μουσικῆς fuit iam tempore Aeschyli, ut docent adiectiva ἄμουσος, ἀπόμουσος, παράμουσος (Agam. 801, Choëph. 467.) — Cf. et. C. M. Arndt. „Fragmente über Menschenbildung" (1805)



II. p. 133, quem librum multa et egregia de musica continere hic moneo. — Cadit idem in musicam, quod de Amore valet et de voce ποίησις: „ἀφελόντες γὰρ ἄρα τοῦ ἔρωτός τι εἶδος ὀνομάζομεν τὸ τοῦ ὅλου ἐπιτιθέντες ὄνομα ἔρωτα, τὰ δὲ ἄλλα ἄλλοις καταχρώμεθα ὀνόμασιν." κ. τ. λ. Plat. Symp. 205. B. — Simili modo μάθημα, quod vocabulum initio ad omnes disciplinas relatum est, postea κατεξοχὴν de scientia numerandi usurpatur vel de iis scientiis, quae per certam demonstrationem percipiuntur. Exempla vide ap. Stephan. Thesaur. s. v. μάθημα, cum quibus cf. quae dicit van Heusde. l. c. II, 2 p. 62.

49) Polit. VIII, 5 s. f. De an. I, 4, 407 sq. Cic. de Orat. III, 51, 197: „Nihil est tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces," cett.— Inspice etiam Platonis Phaedonem p. 85 E sqq, ubi praeclara de harmonia animi Simmias profert (coll. Lach. 188. D.)

50) Cum Graeco vocabulo μουσική compara nostrum Ton, Franco-Gall. ton, latinum modum. — Opus lectu dignissimum exstat St. Augustini, quod inscribitur: De musica, cuius lib. VI. partem, quae de numeris agit, ad hanc ipsam quaestionem conferas velim. Idem ait lib. I c. 2. sq. „Musica est scientia bene modulandi. — — Modulatio non incongrue dicitur movendi quaedam peritia, vel certe qua fit, ut aliquid bene moveatur. — — Sed necesse erit rursus istam modulationem in omnibus bene factis intelligere. Nihil quippe nisi bene movendo bene moveri video. — — Quid si forte ista omnia per musicam fiant, quamvis modulationis nomen in eiusmodi organis magis tritum sit, nec immerito?" Habes ratiocinationem nostrae non plane dissimilem.

51) Tota quaestio cogitationibus multam praebet materiam. Arctissime cohaeret, quod Vischer. §. 749 exponit, animum sentientem vivum omnium animi facultatum quasi fontem esse („das Gefühl die lebendige Mitte des gesammten Geisteslebens"). Herder l. c. p. 73 „Das Gehör ist der mittlere der menschlichen Sinne, — — wir werden gleichsam Gehör durch alle unsre Sinne". De rhythmo vide quae exponit Rossbach (Griechische Rhythmik. Lips. 1854 p. 2.). „Die Rhythmik bildet das eigentliche Band aller musischen Künste. — — Der Rhythmus ist ein Abbild des ordnenden göttlichen Wesens, er ist das Schöne und Sittliche" (secundum Platonem).

52) De numero Musarum earumque nominibus diversissima veteres tradunt. Cf. Lilii Gyraldi deorum syntagma VII. et eiusdem de Musis syntagma. Antiquissimis temporibus tres colebantur, quae apud Pausaniam (IX, 29, 2) nominantur: Μελέτη, Μνήμη, Ἀοιδή; apud Plutarchum (Sympos. quaestt. IX, 14): Νήτη, Μέση, Ὑπάτη. Quomodo novem factae sint, docet ex Varrone Augustinus (de doctr. christ. II, 17): „Dicit enim (Varro) civitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quae in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse, ut opera sua quoque illi artifices aeque pulchra explicarent, et placuisse civitati omnes novem atque omnes emptas esse, ut in Apollinis templo dedicarentur: quibus postea dicit Hesiodum imposuisse vocabula. Non ergo Iupiter novem Musas genuit, sed tres fabri ternas creaverunt. Tres autem non propterea illa civitas locaverat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cuiusquam illorum oculis monstraverant; sed quia erat facile animadvertere, omnem sonum, qui materies cantilenarum est, triformem esse natura. Aut enim editur voce, sicut eorum est, qui faucibus sine organo canunt: aut flatu sicut tubarum et tibiarum: aut pulsu sicut in citharis et tympanis et quibuslibet aliis, quae percutiendo sonora sunt". Musam puto principio unam tantum fuisse. Homerus, qui quidem plures nominat, saepe tamen loquitur, quasi unam esse credat, velut lib. VIII., ubi de Demodoco canit. Ubicunque plures distinguuntur, nunquam separantur. Recte enim Preller. (Griech. Mythol. Lips. 1854 I p 284): „Also einer von den zahlreichen mythologischen Gruppenbegriffen und zwar von den grösseren, deren Eigenthümlichkeit darin besteht, dass die Glieder der Gruppe nicht einzeln, sondern immer zusammen gedacht werden müssen, wie ein vielstimmiger Chor, in welchem jede Stimme ihre besondere Funktion und nur in der Gesammtwirkung ihren Werth hat." Calepini Lex. s. v. Musa: „Una utentes convenientia, quam ἁρμονίαν vocant, et simul canunt, et simul tripudiis exercentur, nec unquam invicem separantur. Nam tametsi earum quaeque suam vim habeat, alia in astronomia, alia in geometria et alia in aliis disciplinis, in unaquaque tamen earum Musas omnis invenias" e. q. s. Hinc falsa fluxit etymologia, Μούσας esse ὁμοιούσας. Veram vocis originem indicat Plato (Cratyl. p. 406 A): „Τὰς δὲ Μούσας τε καὶ ὅλως τὴν μουσικὴν ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, ὡς ἔοικε, καὶ τῆς ζητήσεώς τε καὶ φιλοσοφίας τὸ ὄνομα τοῦτο ἐπωνόμασε." Μόω, μαίω („das Sinnen, das Suchen in der Tiefe und Stille, das stille Werden und Bilden" Creuz. Symb. IV, p. 72) μῶσθαι (meditari) sunt verba, quae arti musicae et animi affectionibus admodum sunt accommodata. Eandem ac Musa significationem habet Camena, sive Casmena, ut docte demonstrat Grauert. in Indice lectt. Monaster. 1848.

53) Theog. v. 79.

54) Plutarch. de anim. procr.: „οἵ τε πάλαι θεολόγοι πρεσβύτατοι φιλοσόφων ὄντες, ὄργανα μουσικὰ θεῶν ἐνεχείριζον ἀγάλμασιν· οὐχ ὡς λύραν που καὶ αὐλόν, ἀλλὰ οὐδὲν ἔργον οἰόμενοι θεῶν

5



οἷαν ἁρμονίαν εἶναι καὶ συμφωνίαν." Soterichus in Plutarchi colloq. de musica sermonem suum incipit: „Ὑπὲρ σεμνοῦ ἐπιτηδεύματος καὶ θεοῖς μάλιστα ἀρέσκοντος" κ. τ. λ.

55) Od. XVII, 270 sq. coll. Jliad. I, 603 sq.

56) Athen. Deipnosoph. X, 425 C.

57) Cf. Platonis Timaeum (cuius ceterum numeri propter obscuritatem iam apud veteres in proverbium abierant). Macrob. Somn. Scip. II. Quinctil. I, 10. 12: „Atque claros nomine sapientiae viros, nemo dubitaverit studiosos musices fuisse, cum Pythagoras atque eum secuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionem, vulgaverint, mundum ipsum eius ratione esse compositum; quam postea sit lyra imitata."

58) Bald. Lyr. III, 1 (Herder. Terps. p. 37) Cfr. Shakespearii locum pulcherrimum (Mercat. Venet. V. 1; (germanica eum affero lingua, quia ipsa poëtae verba mihi ad manum non sunt):

Sieh', wie die Himmelsflur
Ist eingelegt mit Scheiben lichten Goldes!
Auch nicht der kleinste Kreis, den du da siehst,
Der nicht im Schwunge wie ein Engel singt
Zum Chor der hellgeaugten Cherubim.
So voller Harmonie sind ew'ge Geister,
Nur wir, weil dies hinfäll'ge Kleid von Staub
Ihn grob umhüllt, wir können sie nicht hören.

Quinct. I, 10, 10. „Iopas vero ille Virgilii nonne canit
— errantem Lunam, Solisque labores?" cet.

Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse coniunctam". Qui fiat, ut musica tam arcte cum religione cohaereat (cf. Contzen. Politicorum lib. II c. 19), docet Vischer. l. c. §. 750.

59) Cf. Herder. Caecilia (Nachlese zur schönen Litt. u. Kunst. Herausgegeben durch J. v. Müller 1830 p. 90 sqq. Früchte aus den sogenannt goldenen Zeiten des achtzehnten Jahrhunderts. Herausg. v. J. G. Müller 1830 p. 194.) Meliorem quam Herderus interpretationem verborum „decantabat domino" proponit Wendt. in Ersch. e Grub. Encycl. s. v. Caecilia.

60) Herder. (Die Tonkunst):

Die du droben den Reih'n der Sterne
Und der Unsterblichen führst,
In ewig-jungem schwebenden Jubeltanz
Nah und näher hinan des Allvollkommenen Thron;
Und tief hienieden im Erdenthal
Unter des Himmels heiligem Blau
In leisen Tönen, im verlornen Laut
Der Ahnung, unser Herz
In die Chöre der Himmel erhebst:
Ewige Harmonie! — — —
— Dich hauchte
Der Ewige selbst mir ein.
Und bist mir Ewigkeit,
Bist Gottesgefühl in mir, der unendlichen Harmonie
Vorahnende Verkündigerinn.

Oken: „Musik ist die Aeusserung der Sehnsucht zu Gott zurückzukehren. Bewusztlos macht sie den Menschen sehnsüchtig nach einem Zustande, den er nicht kennt, bewusztlos setzt sie ihn in diesen Zustand der göttlichen Ruhe und des göttlichen Gemüthes." J. P. F. Richter: „O Musik! Nachklang aus einer entlegenen harmonischen Welt! Seufzer des Engels in uns!" etc. Similes sententias apud multos poëtas invenies, imprimis apud Schubert et Pope.

61) Cic. Tusc. I, 2, 4. „Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo iudicio, Graeciae fidibus praeclare cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot ante annos, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur".

62) Aristot. Polit. VIII, 3, ubi de ipsa puerorum educatione agit, „τὸ δὲ ζητεῖν", inquit, „πανταχοῦ τὸ χρήσιμον ἥκιστα ἁρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις." Sed quid Aristoteles ad Iani portas!

63) Cf. Schilleri disticha:

Dreimal und viermal beglückt ist der Sterbliche, welcher die Weisheit
Sich zur Führerinn wählt und zur Gefährtinn die Kunst.
Würde verleih't die eine dem Leben und Freuden die andre;
Jene sichert den Schritt, diese verschönert den Pfad.

v. Raumer. (Gesch. d. Paedagog. III, 1. Stuttg. 1847, p. 266): „Jede Kunstgabe, welche Gott der Seele des Kindes eingepflanzt hat, muss treulich gepflegt und ausgebildet werden" e. q. s. Consule Harlessii commentatationem: „Die Bildung des Kunstsinnes als Schönheitssinnes auf den Gymnasien" in Museo Monaster. 1841 I, 1 p. 1 sqq.

64) Quinctil. I, 10, 27: „Cui (Graccho) concionanti consistens post eum musicus fistula, quam τονάριον vocant, modos quibus deberet intendi, ministrabat (Cf. Cic. de Orat. III, 60, 225).— — Nam poëtas certe legendos oratori futuro concesserint: num igitur hi sine musice?"

65) Cf. Gassner. l. c. p. 367.

66) Hist. anim. XII, 44, 45, 46. Similia congesserunt multi ex Strabone, Plutarcho aliis. Cf. Marc. Capell. X, in. De Vivis l. c. in. Ceterum negari non potest, musicis sonis magnam et arcanam quandam in nervos potestatem esse, et quod sexcenties nobis traditur, morbis medelam per musicam allatam esse, omni non caret veritate. Cf. Mendelssohn „Philosophische Schriften" (Frcf. 1777 I p. 157). Quanta autem ex hac opinione orta sint commenta et quam absurda, legitur apud Hanslick. l. c. p. 69 sqq.

67) Plin. Hist. nat. XXXIV, 8.

68) Cf. Athen. XIV, 19 sqq. Boeckh. de metr. Pind. III, c. 8 p 238. Hansl. p. 88 Vischer §. 823. Rhodigini lectiones antiquae V, 22: „Verumtamen quid Cassiodorus super iis prodat, attendendum magnopere. Dorius, inquit, prudentiae largitor est et castitatis effector, Phrygius vero pugnas excitat, votum furoris inflammat, Aeolius animi tempestates tranquillat somnumque iam placatis attribuit, Lydius intellectum obtusis acuit et terreno desiderio gravatis coelestium appetentiam inducit, bonorum operator eximius" cett. De indole singularum harmoniarum exponit etiam Wennemer. in lib. schol. Gaesdonck. 1856: „Ecclesiae modis musicis quae ratio sit ad veterum Graecorum musicam" p. 6. sq. His nostris temporibus musici extiterunt, qui efficientias secundum singula diagrammata definire et in certos quasi gyros cogere velint. Cf. Bisch. Act. Mus. V. N. 17, 19, 22, 23. Sed quod apud Graecos ex universa rerum condicione et experientia proveniebat, id nunc in meras nugas exit, et multa, quae in veterum fabulis de musicae vi narrata derisui sunt, tam absurda non videntur, quam quae hodie a quibusdam musicis somniantur.

69) Cf. Plat. Pol. III, 398 C. sqq. (Bomback. „Entwicklung der Platonischen Erziehungslehre". Lib. schol. Rottweil. 1854 p. 13 all. ll.). Aristot. Pol. VIII, 5 sqq. (Biese. „Die Philosophie des Aristoteles". Berol. 1842 II p. 560 sqq.)

70) Plato l. c. Arist. Pol. VIII, 7. (Typographi peccato excidit vocabulum „valere" post „conformandos.")

71) Vischer §. 749: „Die Musik gibt im Gefühl eingehüllt die ganze Welt, der Zuhörer öffnet in unendlicher Verschiedenheit die Hülle."

72) Narrat Zamminer. in Bisch. Act. mus. V, p. 173.

73) Num autem omnino recte dicat Hansl. p 87: „Die Tonkunst wirkte lediglich nach ihrer sinnlichen und ihrer symbolischen Seite", hic perquirere nolo. Cf. Rötscher (Aristophanes. Berol. 1827 p. 190): „Die Tonarten hatten bei den Griechen einen so bestimmten und durchaus abgeschlossenen Charakter, den wir auch von den Alten selbst ins Bewusstsein gehoben finden, dass mit der Veränderung der Tonart, als der bewegenden Seele des Ganzen, auch das Subject eine andre Empfindung erlitt, und damit der Einfluss auf das Gemüth auch der entschiedenste war."

74) Cic. de legg. II, 15, 38: „Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos: quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem — — Quamobrem ille quidem sapientissimus Graeciae vir — — negat mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum — — Graviter olim ista vindicabat vetus illa Graecia, longe providens, quam sensim pernicies illapsa civium animos malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret; si quidem illa severa Lacedaemon nervos iussit, quos plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demi".

75) Cf. Annot. 61. Köppen. apud Snethlage. („Ueber das ethische Princip der Platonischen Erziehung". Lib. schol. ed. Meineke. Berol. 1834 p. 19): „Unsere neuere Musik liegt durch die Vervielfältigung der Instrumente und den reichen Gebrauch der Harmonieen weit entfernter vom Volksleben als die Musik der Alten, weswegen sie mehr zur Wissenschaft geworden, und keineswegs so allgemein gewaltige Wirkungen, wie bei den Griechen, von ihr zu rühmen sind".

